



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. I. Existentia & Natura Providentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

## DISPUTATIO XIII.

DE

## Providentia DEI prædestinante.

Ad q. 23.

Postquam ea, quæ intellectum vel voluntatem seorsim concernunt, Angelicus Doctor consideravit, transgreditur ad considerandam providentiam DEI, ad quam actus tam voluntatis, quam intellectus pertinent. Hujus partes, non *subiectivæ*, tantquam species Providentiæ inter se virtualiter distinctæ, sed *objectivæ*, hoc est, ejusdem providentiæ juxta diversitatem objectorum materialium diversæ acceptiones, sunt *Prædestinatio & Reprobatio*. Unus quippe finis & ratio formalis, quam Divina providentia in omni suo effectu respicit, est manifestatio Divinarum perfectionum; ideoque inter partes Divinæ providentiæ non est distinctio virtualis intrinseca: quia verò objecta materialia, & effectus ad hunc finem ordinati inter se differunt, dum alii pertinent ad ordinem naturæ, alii ad ordinem gratiæ; alii ad manifestandam misericordiam in electis, alii ad justitiam in reprobis; idcirco alia vocatur providentia naturalis, alia prædestinans, alia reprobans.

## ARTICULUS I.

Quid &amp; quorum Providentia sit in DEO?

## SUMMARI A.

1. Doctrina fidei de existentia Providentiæ.
2. Ratio naturalis.
3. Definitio & subjectum.
4. Est actus rationis practica.
5. Est circa media ad finem.
6. Datur de rebus minutissimis.
7. Specialis Providentia est de creaturis rationalibus.
8. Diversa ratione.
9. An & quomodo Providentia Divina semper assignatur finem?

## §. I.

Existentiæ &amp; natura Providentiæ.

1. Nignorantiæ nebula oberrantes Athei, vel Atheis proximi negant divinam providentiam, aut eandem ab actuum humanorum gubernatione remouent, dicentes apud Job. 22. *Nubes latibulum ejus, & circa cardines cali perambulat, neque nostra considerat.* Contra quos S. Scriptura pronuntiat Judith. 9. *Omnes via tua parata sunt, & tua judicia in tua providentia posuisti.* Sap. 14. *Tua autem Pater providentia gubernat.* Minutissimis de rebus accuratissimam DEI providentiam Christus docuit, Matth. 6. *Respicite volatilia cali, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester caelestis passit illa, &c.* quæ etiam commendatur Plal. 103. 106. 134. Specialem, quam de hominibus habet, providentiam commendat S. Petrus epist. 1. c. 5. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in ipsum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

2. Deducimur quoque in Divinæ providentiæ cognitionem lumine rationis naturalis, quæ edocemur primo agenti operis sui curam inelle. Hoc genere argumentandi utitur S. Ambrosius l. 1. offic. dicens: *Quis operator negligat operis sui curam.* R. P. Alex. Theol. Schol. Tom. 1.

ram? quis deserat & destituat, quod ipse condendum putavit? &c. Accedit ordinatissima tum magni tum parvi mundi, hominis inquam, dispositio, in qua sapientissimam DEI gubernationem ac providentiam vix non palpamus. Et ex isto rerum ordine procedit ratio S. Doct. hic q. 22. a. 1. in hanc formam redacta. Rerum omnium, quæ sunt, & fiunt, rationes existunt in intellectu DEI, quippe qui omnia per intellectum operatur: sed in rebus reperitur ordo in finem: ergo ratio ordinandarum rerum in suum finem existit in mente Divina. Atqui ratio ordinandarum est providentia: ergo.

Coincidit cum prædicta definitione S. Doct. illa Boetii de consol. prosa 6. *Providentia est illa ipsa divina ratio, in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit.* Ex utraque porro definitione facilis est decisio illius questionis: utrum providentia ad intellectum vel voluntatem pertineat? quamvis enim providentia secundum omnes actus, quos tam præsuppositivè, quam formaliter includit, ad utramque facultatem pertineat, velut in præmio hujus cap. cum S. Doct. insinuavimus: tamen quantum ad actum, in quo formaliter ac principaliter consistit, ad intellectum pertinet, ut etiam tacitam, quod ipsa vox prospiciendi & providendi, à qua dicitur providentia, visionem & actum intellectus sonat: ordinatio quoque, seu ratio ordinandi in finem est formaliter actus intellectus, ut expressè habet S. D. hic cit. art. 1. ad 3. dicens, *providentia est in intellectu, præsupponit tamen voluntatem finis.* Et rursus q. 5. de verit. a. 1. dicit, *Providentia includit & scientiam & voluntatem, sed tamen essentialiter in cognitione manet, non quidem speculativa, sed practica.* Unde cum Damasc. l. 2. de orthodox. fide c. 27. ex Nemesio Providentiam

descripsit; *Providentia est DEI voluntas, per quam res omnes apte congrueque gubernantur*: eandem non à formali actu, sed præsuppositivè inclulo descripsit.

4. Est igitur Providentia divina formaliter actus rationis practicae; & materialis actus imperii. Est enim providentia pars prudentiae, ut habet S. D. hica. 1. sed principalis actus prudentiae est inopertium: prudentia quippe, teste Philoſopho 9. Eth. c. 9. *præceptiva est, finis enim ipsius est, quodnam sit agendum, aut non agendum, præcipere*. Ideoque cit. S. Doct. hica. 1. dicit: *Præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit DEO; secundum illud Psalmi, Præceptum posuit & non præteribit, & secundum hoc competit DEO ratio Providentia.*

5. Ex quibus sequitur etiam Providentiam Divinam non esse circa finem, sed circa media ad finem. Est enim de ordinandis in finem: sed quæ ordinantur in finem, sunt media: ergo. Unde imprimis distinguitur à practica scientia DEI, quippe quæ simul est de fine & mediis, ut habet S. D. q. 5. de verit. a. 1. in c. Distinguitur secundo ab arte DEI, quia ars, ut inquit idem S. Doct. ibidem ad 9. versatur circa res, secundum ordinem, quo progrediuntur à principio, hoc est, secundum conformitatem, quam habent cum dictamine artificis; providentia verò secundum quod ordinatur ad finem. Item quia juxta eundem perfectio artis consistit in judicando; perfectio verò providentiæ in imperando. Distinguitur tertio à lege DEI, quia lex non est DEO imposita, sed creaturis; adeoque consistit in imperio regali, quod respicit subditos juxta S. Doct. 1. 2. q. 93. Providentia verò consistit in imperio monarchico, & immediatè respicit actum DEI liberum, qui est usus. Distinguitur quarto à Divinis Ideis, quia idea est *forma exemplaris rei secundum suam speciem absolute; sed formæ rei secundum quod est ordinata in finem, est providentia*. Illa potest pertinere ad intellectum speculativum, ista pertinet semper ad practicum. Distinguitur quinto à potentia executiva, quia licet tam providentia, quam potentia executiva consistat formaliter in imperio, tanquam actu practicae scientia DEI, tamen hic ipse actus rationem potentia habet secundum munus exequendi; rationem verò providentiæ secundum munus dirigendi, & secundum munus dirigendi inadaquate præsupponitur sibi ipsi, ut habenti munus exequendi, quemadmodum docet Doct. Ang. q. cit. de verit. in fin. corp. dicens: *Actus potentia præsupponit actum providentiæ, sicut dirigentis, & indicatur Psalm. 67. Manda DEVS virtutis tua, hoc est præcipe tuæ Divinæ potentia.* Neque existimes, quod actus imperii inferat imperfectionem subjectionis in DEUM: non enim subjectionem, sed virtuales subordinationem supponit, quæ sicuti reperitur absque imperfectione inter intellectum & voluntatem Divinam, ita quoque actus imperii, ad quam virtualiter consequuntur usus & executio, nullam involvit imperfectionem in DEO.

## §. II.

*Obiectum & efficacia Providentiæ.*

Cæterum nihil tam vile, tam parvum est, citra quod Divina Providentia non occupetur. Ad omnia quippe illa se extendit divina providentia, ad quæcunque se extendit Divina causalitas: sed illa se extendit ad omnia singularia, materialia, etiam minutissima: ergo etiam Divina Providentia, de quo pulcherrimè August. 1. 3. de Trinit. *Nihil sit invisibiliter & sensibiliter, quod non de teriore invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur &c. in ista totius creaturæ amplissima quidam, immeritata Republica.* Atque ideo Christus Matth. 10. dixit, *omnes capillos capitis esse numeratos, &c. ut unum quidem passerem cadere in terram sine voluntate Patris.*

Neque adversatur Apostolus 1. Cor. 9. dicens, *Nunquid de bobus cura est DEO?* significat enim, non tantam, neque specialem curam & providentiam impendi creaturis irrationalibus, quantum DEUS habet de rationalibus. Unde specialior DEI providentia ad liberos nostræ voluntatis actus, tanquam propius in ultimum finem ordinabiles, terminatur, eosque non tantum bonos, qui Divino munere tribuntur, sed malos etiam, quos sola voluntas defectuosa paratur, veli constat ex iis, quæ supra sunt dicta.

Diversa tamen hoc fit ratione; nam Providentia bonorum fundatur in decreto positivo & approbante; ideoque pertinet ad scientiam visionis practicae, quam etiam supra scientiam approbationis appellavimus. Eaque rursus dividitur in generalem & specialem; illa terminatur ad ordinationem creaturæ rationalis in suam salutem, ideoque est præparativa mediorum sufficientium; ista terminatur ad ipsum finem particularem creaturæ, seu ascensionem salutis, ideoque est præparativa mediorum efficacium: Providentia verò malorum & peccatorum secundum formalem rationem peccati (nam secundum materiale & prædefiniuntur, & ratione decreti prædefinitivi divinæ providentiæ subduntur) nititur decreto permittivo, modo ibidem explicato. Eaque vel potest considerari, prout cadit super ipsa peccata, quæ permittuntur à DEO; & sic habet præter rationem scientiæ: vel prout cadit super ipsam ordinationem malorum in finem à DEO intentum; sicque habet rationem scientiæ practicae & proprie dictæ providentiæ, cum illa ordinatio sit bona & à DEO causata. Hinc intelliges certitudinem providentiæ Divinæ, nullò modo fundari in scientia media, quæ nulla est, & in superioribus sufficienter rejecta; sed, siquidem sit providentia bonorum, in decretis prædefiniuntibus; in malorum, in decretis permittivis.

Si quæras: utrum Divina providentia finem semper assequatur? Respondeo providentiam generalem non semper assequi infallibiliter finem particularem creaturæ: semper tamen assequi finem ipsius provisoris. Ratio primi est; quia providentia non habet majorem infallibilitatem, quam voluntas, ex qua descendit: atqui providentia generalis descendit ex voluntate antecedente, quæ est inefficax circa finem particularem creaturæ: ergo etiam providentia generalis non infallibiliter assequitur hunc finem. Deinde ut inquit S. Doct. q. 6. de verit. a. 1. Providentia gene-